



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Decimus Locus. Per Divisionem in Partes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

cat, quia aqua munda est; potentiam corroborat, quia Dei virtus est: sicut peccatum homines ab amicitia Dei excludit, privat jure ad hæreditatem regni Cælestis, Diaboli mancipium facit, & æternis ignibus addicit, ita gratia eripit à Servitute Diaboli, & Dei amicum efficit, & ad felicitatem æternam restituit, ac omnium Bonorum participem facit.

DECIMUS LOCUS.

Per divisionem in Partes.

Hæc amplificatio fit Quatuor modis, primò per divisionem *totius universalis*: ut si Concionator alicui applicaret illam sententiam: *Ego sum flos campi*: diceretque iste Sanctus meritò assimilatur flori, quia fuit sicut rosa Succensus ardore Charitatis, ut lilium candidum nitore puritatis, ut viola suaviter olens odore humilitatis.

Secundò per divisionem *totius integralis*, ut si quis explicaturus illam Sancti Pauli sententiam ad Rom. cap. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo*: dicat hujus mystici corporis caput est Christus; oculi sunt viri contemplativi; os prædicatores; manus, qui vitam activam profitentur; Pedes, omnes Christiani ad Bravium cæleste currentes.

Tertiò per divisionem *totius collectivæ*; ut si explicaturus illam sententiam Apocal. cap. 6. *Fecisti nos Deo nostro regnum*, dicat in regno Christi. Christus est Rex, Assesores & Judices sunt Apostoli, Milites sunt Martyres, Præcones sunt Doctores & Prædicatores.

Quarto per divisionem *totius potentialis*, seu naturæ in potentia, ut si volens ostendere, quomodo Deus sit ex tota anima diligendus, dicat eum esse diligendum *intellectu*, ut cognoscat illum sine errore: *voluntate*, ut ei sine contradictione obediat: *memoriâ*, ut sine oblivione eum meditetur.

His quatuor modis addi potest Quintus, quando videlicet plures propositiones per copulam connexæ dicuntur, ut si explicaturus illam sententiam S. Pauli Rom. 13. *Abiciamus opera tenebrarum, & induamur arma Lucis*, dicat: quidam non induunt arma lucis, licet abiciant opera tenebrarum: id est, non faciunt bona: Quidam induunt arma lucis, sed non abijciunt opera tenebrarum: quidam & induunt arma lucis, atque

atque abijciunt opera tenebrarum: ut justi; quidam neutrum faciunt ut desperantes.

UNDECIMUS LOCUS.

Per Ratiocinationem.

Ex hoc loco variis etiam modis fit amplificatio; nam primò quandoque à iudicio Auditorum postulato infert Concionator, quod intendit, ut si dicat: Nónne stultus esset, qui propter quamcúnque delectationem sumeret cibum, in quo non dubitaret latere venenum? an non stultus etiam erit peccator, qui propter carnis delectationem committit peccatum, in quo venenum mortis æternæ habet? hoc modo usus est Christus Matth. cap. 22. & 23. in parabolis de Agricolis, qui hæredem occiderunt.

Secundò adhibentur quandoque confutationes, quibus tacitis quæstionibus responderetur, quæ ex verbis prædicatoris oriri possunt, ut si priùs v.g. Concionator dixerit, damnatis supplicium æternum deberi, & postea sic inferat: sed obijciat aliquis, cum peccatum sit temporale, quare pro eo æterna pæna sustinenda est? R. Quia qui per impænitentiam finem sibi in peccatis mortalibus non constituit, voluntatem habuit in æternum peccandi, & ideo justum est, ut, qui in animo suo æternum peccavit, in æternum ipsius Dei iudicio puniatur.

DUODECIMUS LOCUS.

Per causas & effectus.

Ex hoc loco facilè patet, quomodo amplificatio desumenda sit, nempe effectus vel causas rerum explicando ut si Concionator volens explicare præstantiam gratiæ, dicat eam facere Filium Dei adoptivum, Hæredem cæli, Amicum Dei. Item si volens explicare præstantiam nuptiarum quas anima cum Deo velut sponso suo celebrat, laudet eas à fine quem sibi præfixum habent tales nuptiæ, scilicet delectatione & generatione spiritali, mutuo auxilio ex consortio & familiaritate.

Praxis horum locorum.

His de locorum varietatibus suppositis, proderit videre,
Instructio VII. quo